



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Epist. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](#)

A nam: potest autem esse non incompta frugalitas. Hic mihi modus placet. Temperetur vita inter bonos mores & publicos: ¹⁸ suspiciant omnes vitam nostram, sed & ¹⁹ agnoscant. Quid ergo? Eadem faciemus, quæ ceteri? nihil inter nos & illos intererit? plurimum. Dissimiles esse nos vulgo, sciat, qui inspicerit proprius. qui domum intrauerit, nos potius miretur, quam supellecilem nostram. Magnus ille est, qui fictilibus sic virtutur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui ²⁰ sic argento virtutur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi est, pati non posse diuitias. Sed ut huius quoque diei lucellum tecum communicem, apud ²¹ Hecatonem nostrum inueni, cupiditatum finem, etiam ad timoris remedia proficere. ²² Desines, inquit, timere, si sperare desieris. Dices, quomodo ista tam diuersa pariter sunt? Ita est, mi Lucili: cum videantur dissidere coniuncta sunt. Quemadmodum eadem catena ²³ & custodiam & militem ²⁴ copulat: sic ista quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt. Spem meam sequitur. Nec miror ista sic ire. virtus pendentis animi est, virtus futuri expectatione solliciti. Maxima autem virtusque causa est, quod non ad presentia aptamur, sed cogitationes in longinqua praemittimus. Itaque prouidentia, maximum bonum conditionis humanæ, in malum versa est. Feræ pericula quæ vident, fugiunt; cum effugere, securæ sunt: nos & venturo torquemur, & præterito. Multa bona nostra nobis nocent. timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum presentibus miser est.

EPIST. VI.

PROFICERE se in Philosophia, & argumentum esse, quod virtus sua agnoscat. Velle secum eo, ut vero amico, omnia communicare, que sint virtus: idque proprium sapientis. Consuetudinem bonorum valde efficacem, & supra ipsa precepta videri: quod exemplo Philosophorum aliquot docet.

CINTELLIGO, Lucili, non emendari me tantum, sed ¹ transfigurari: nec hoc promitto iam aut spero, nihil in me superesse, quod mutandum sit. Quidni multa habeam quæ debeat ² corrigi, quæ ³ extenuari, quæ ⁴ attolli? Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod virtus sua, quæ adhuc ignorabat, videt. ⁵ Quibusdam ægris gratulatio fit, cum seipsi ægros esse senferunt. Cuperem itaque tecum communicare tam subitam mei mutationem: tunc amicitiae nostræ certiore fiduciam habere cœpisse, ⁶ illius veræ, quam non spes, non titus, ⁷ non utilitatis suæ cura diuellit: illius, cum quâ homines moriuntur, & pro quâ moriuntur. Multos tibi dabo, qui ⁸ non amico,

18. SUSPICIANT.] Taciti venerentur, ut bonam.

19. AGNOSCANT.] Ut non aliam prorsus, nec supra hominem.

20. SIC ARGENTO.] Aristippi ea mens, qui in crepanti quod perdicem quinquaginta drachmis emisit: & Tu, inquit, istam obolo non emeres? Annente, Mihi autem, ait, quinquaginta drachmæ sunt obolus.

21. HECATONEM NOSTRVM.] Stoicum, patetij discipulum, domo Rhodium.

22. DESINES TIMERE.] Nam suspensus hic alter ab altero affectus: Aristoteles 11. Rhet. ad Theod. cap. v. In Tragico alibi: Qui nil potest sperare, desperet nihil.

23. ET CVSTODIAM.] Ipsum qui custoditur, reum & innoxiam. Epist. LXX. & LXXVIII.

24. COPVLAT.] Manilius, tales custodes facit qui sub Andromedâ nati, lib. v.

Vincitorum dominus, sociusq; in parte catene, Interdum pœnis innoxia corpora seruat.

Est hec Militaris custodis, & honestior: de qua nos ad Tacit. 111. Annal. plenè.

EPIST. VI. I. TRANSFIGVRARI.] In aliud habitum hominemq; ire. Epist. XCIV. Qui facienda & vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi in ea, quæ didicit, animus eius transfiguratus est. Itaque mutatio hec sive metamorphosis, animorum est hominisq; interni.

2. CORRIGI.] Prava & curva, alijs colligi è libris quibusdam eligunt: nempe sparsa, inquiunt, & dissoluta.

3. EXTENVARI.] Vbi tumidi affectus.

4. ATTOLLI.] Vbi viles & deprest.

5. QVIBVS DAM AEGRIS.] Ut in lethargo: ut in melancholiâ, vbi insani maximè sibi sani.

6. ILLIVS VERÆ.] Nostra & Stoica.

7. NON UTILITATIS.] Quæ est Epicuri amicitia.

8. NON AMICO.] Vulgari, de quo Epist. III.

9. AMI-

amico, sed amicitia caruerunt. Hoc non potest accidere, cum animos in societatem honesta cupiendi par voluntas trahit. Quid si non possit? Sciunt enim ipsos omnia habere communia, & quidem magis aduersa. Concipere animo non potes, quantum momenti afferre mihi singulos dies videam. Mitte, inquis, & nobis ista, quae tam efficacia expertus es. Ego verò cupio ista omnia in te transiundere, & in hoc gaudeo aliquid discere,¹⁰ ut doceam: nec me illa res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi vni sciturus sim. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rei ciuitatem. Nullius boni, sine socio, iucunda possestio est. Mittam itaque ipsos tibi libros: & ne multum operae impendas, dum paucim profutura secessaris, imponam¹¹ notas, ut ad ea ipsa protinus quae probo & miror, accedas. Plus tamen tibi & viua vox & conuictus, quam oratio, proderit, in rem præsentem venias oportet. Primum quia homines amplius oculis quam auribus credunt: deinde quia longum iter est per praeculta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressissit, si eum tantum modò audisset. vita eius interfuit, secreta perspexit, obseruavit illum,¹² an ex formulâ B suâ visueret. Plato &¹³ Aristoteles, & omnis¹⁴ in diuersum itura sapientium turbâ plus¹⁵ ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit.¹⁶ Metrodorum, &¹⁷ Hermachum, &¹⁸ Polyanum, magnos vitos non schola Epicuri, sed contubernium fecit. Nec in hoc te accerso tantum, ut proficias, sed ut profisis. plurimum enim alter alteri conferemus. Interim quia diurnam tibi mercedulam debeo, quid me hodie apud Hecatoneum delectauerit, dicam. Queris, inquit, quid prefecserim?¹⁹ Amicus esse mibi capi. Multum profecit. numquam erit solus.²⁰ Qui sibi amicus est, scito hunc amicum omnibus esse.

9. AMICITIA.] Fructu ipso qui ex amico capitur, dum castigat, monet, communicat.

10. UT DOCEAM.] Stoicus sensus. Ita Cato apud Ciceronem, 111. De Fin. Impellimur naturâ ut prodesse velimus, inquit, misque docendo rationib[us]que prudentiae tradendis. Itaque non facile est inuenire, qui quod sciat ipse, non tradat alteri.

11. NOTAS.] Cu[m]modi in margine solent olim & nunc ponî, Laudis vel Culpe.

12. AN EX FORMVLÀ.] Meus & meliores, ut ex formulâ: quod esset, id est obseruanit, ut vivere posset ad eius normam. Nam suum sic usurpari, non nouum. Malum tamen, vtrum ex.

13. ARISTOTELES.] Error aut calor scriptoris est. ille adicere non conuixit Socrati, nec & id quidem. Nam obiit Socrates primo anno Olympiadis XCV. ut plerique, sive ut Diodorus, XCVI. Atquin Aristoteles natus est anno primo Olympiadis XCIX. id est, septem post eum annis: quod prater Laertium, Dionysius, Agellius, & Enesbius tradiderunt: quomodo ergo in conuictu ei fuerit? Scio Ammonium in vita Aristotelis tradere de tribus annis, quos cum Socrate eggerit, & quoddvigimo deinde ad Platonem venierit: sed super errore, & calculus annorum ipse Ammonius refellit.

14. IN DIVERSVM.] Nam plures secta, sive velut aquarum diuertia, ab illo capite facta.

15. EX MORIBVS.] De eâ re ita Xenophon, lib. IV. de Seer. Οὐτω δὲ τακτικὴν εἰς τακτικὴν ματι, καὶ τάχτη τρόπου, ὁφελιμος, ἀστε τοῦ σπουδῶφ τέτο, καὶ εἰ μετρίας αἰσθανούμενος, φανερὸς εἴη, διοτι γάδειν ὁφελιμωτεροῦ τοῦ τακτικοῦ τακτικῆς τοῦ πεζοῦ καὶ μετ' εὑνέου διατρίβειν διακούειν καὶ εἰ ὁ τρόπος τακτικῆς τοῦ πεζοῦ: Ita autem Socrates erat in omni re & omnimodis, utilis, ut attendent & vel modice intelligenti liqueret, nihil utilius fieri posse, quam illi adest, cum eo versari, vbi cùmque, & in re quacumque, ac plura addit.

16. METRODORVM.] Duo fuerunt hoc nomine Epicuri discipuli, prior Metrodorus Stratonicensis, qui tamen ab illo ad Carneadicem defecit: alter, Atheniensis, qui perseverauit, & libris etiam pluribus disciplinam propagauit. Hunc intellegit.

17. HERMACHVM.] Hic est Hermachus, Agemarchi filius, Mitylenaeus, qui in schola & diatribâ Epicuro succedit. Diogenes.

18. POLYANVM.] Athenodori filium, Lampasennum; item inter discipulos, eis ante Epicurum obiit, ut ex eius Testamento colligas.

19. COEPI.] Ea vox abest scriptus plerisque.

20. QUI SIBI AMICVS EST.] Et hec verba item desunt: sed desunt. Ex Stoico dogmate manat, qui se amat, id est bonum sapientemq[ue] facit, hunc & alios sic amare. Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

EPIST.